

Liebende im anderen einen Spiegel seiner selbst, so ist diese Harmonie Quelle der uneigennütigen Freundesliebe, die im Freunde ein zweites Ich (*dimidium animae*) erblickt. Die zweite Aehnlichkeit ist Ursache für die Liebe der Begierlichkeit, die nach einem Gute sucht, das sie selbst nicht hat. Die erste Art der Aehnlichkeit kann auch Ursache des Hasses sein. Insofern nämlich der eine durch das gleichförmige Sein und Streben des anderen sich beeinträchtigt fühlt, entsteht eine gegenseitige Abneigung und Hass. Deshalb feinden einander die Töpfer an, wie Aristoteles sagt,<sup>1)</sup> und unter Hochmüthigen gibt es immer Zank und Streit nach den Worten der hl. Schrift.<sup>2)</sup>

(Schluss folgt im nächsten Hefte.)

---

## De partibus quibus constat Propositio Logica. Dissertatio.

Scriptis D. Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

a) *Mentis nostrae conceptiones exterius manifestari oportet, tum ut nos mutuo adjuvemus in rerum notitia comparanda, tum ut cordis nostri sensa, prout postulat hominis vita socialis, ad invicem communicemus. Haec autem manifestatio eatenus fiet, ut patet, quatenus signa externa quae adhibeantur, fideliter referant quod in mente conceptum est: unde sequitur identitas conceptus mentalis et signi ejus externi secundum id quod utrumque repraesentat. Dico autem „secundum id quod utrumque repraesentat“ rem cognitam innuens, quam et mentalis conceptus exhibet, et significat signum externum; istud quippe non modo repraesentat conceptum mentalem in quantum hic qui natura sua internus est, per illud proditur, sed etiam rem per conceptum repraesentatam; et in hujus quidem rei significatione conceptus mentis et signum ejus externum sunt unum et idem. In tantum sane loquimur in quantum cognoscimus, et id profecto loquimur quod cognoscimus, non cognitionem ipsam; quam si locutione significare velim, jam et ipsa est aliquid cognitum: unde manifestum fit quod vocabula non significant conceptus mentis tamquam realitates intra nos existentes tantum seu sine respectu ad aliud, sed tamquam repraesentantes illud quod cognoscitur. Hoc autem intelligatur secundum relationem dependentiae signi externi ad conceptum mentis. Signum autem externum non modo est signum conceptus mentalis, ut supra dictum est, sed rei etiam quam conceptus repraesentat: et secundum hanc relationem signi externi ad rem cognitam*

---

<sup>1)</sup> Eth. VIII, 1.

<sup>2)</sup> Prov. 13. S. Th. 1. c. art. 3.

duplex in eo distinguendus est respectus, immediatus videlicet ad rem ipsam secundum intentionem loquentis, qui locutione non cogitationem suam, sed rem utique dicit cogitatam; et mediatum, quatenus signum externum in eadem re significanda substituitur conceptui mentis in quo illa est expressa. Unde si quaeratur quid principaliter significetur per vocabulum, conceptus mentis an res cogitata; respondendum est quod juxta intentionem loquentis non modo principaliter, sed exclusive significatur res cogitata: si vero attendatur ad naturalem relationem dependentiae signi externi a conceptu mentis, cum signum externum non substituat conceptui nisi secundum quod hic repraesentat rem cogitam, dicendum est, juxta illud scholae effatum „propter quod unumquodque tale, et illud magis,“ quod per vocabulum principaliter significatur res cognita quam conceptus ejus; eo vel magis quod vocabulum non est signum formale aut naturale conceptus mentalis, (quamvis naturalis est facultas loquendi) sed signum conventionale, quod non adhibetur nisi ad rem cogitam significandam. Nihilominus tamen, cum in tantum loquamur in quantum cognoscimus, nec aliud sane nec aliter loquamur quam cognoscimus, res profecto non tales per vocabula aut sermonem necessario significantur quales in se sunt, sed utique quales concipiuntur in mente; et secundum hanc dependentiam signi externi a conceptu mentali dicendum est quod per vocabulum prius significatur conceptus quam res per eum repraesentata. Item ex hac dependentia signi externi a conceptu mentali sequitur utriusque identitas in ratione signi, quatenus haec identitas non solum consideranda est ex parte unitatis rei per utrumque repraesentatae, sed etiam secundum praefatam dependentiam unius ab alio, ita scilicet acceptam ut vocabula vel sermo aut nihil prorsus significant, aut aliud plane non sint quam ipsae conceptiones mentis (intellige, in ratione signi, non secundum rei naturam) sensibilibiter expressae. Illud porro inter conceptum et vocabulum oportet notare discrimen, quod vocabulum dependet a conceptu in ratione signi, non vero conceptus a vocabulo; conceptus enim secum fert repraesentationem rei cognitae, cum sit imago vel similitudo ejus; secus autem vocabulum, quod cum formam vel similitudinem rei cognitae in se non habeat, in tantum rem a loquente cogitam repraesentat, id est, in tantum per illud innotescit quid est quod loquens cogitat, in quantum conceptus rei cognitae per ipsum exprimitur. Ideo licet vocabula aliquid determinatum per se significant, non quidem per necessariam connexionem cum conceptibus mentis, sed ex usu recepto inter homines; nihilominus ad essentialiam vocabuli non sufficit quod sit signum conventionale alicujus rei, sed requiritur insuper imo et principaliter, ut per illud exprimat cogitatio hic et nunc loquentis cum ad hoc sermo sit institutus,

nec aliud sit aliquem loqui quam cogitationem suam exprimere. — Vocabula, diximus, substituuntur conceptibus mentis in rebus cognitis significandis; in mentis autem conceptionibus oportet distinguere repraesentationem rei cuiusque et intellectionem alicujus veritatis ad rem repraesentatam spectantis, et his duobus respectibus mentis ad rem cogitatum respondent in sermone duce diversae expressiones cogitationis; nam repraesentatio rei in mente significatur exterius per vocem incomplexam seu terminum, cognitio autem veritatis per propositionem. Propositio autem logice accepta, id est, ut expressio iudicii vel veritatis cognitae, in tribus essentialiter consistit, subjecto, nempe, praedicato et verbo, seu, quod idem est, duobus terminis et copula, qua asseritur unius ad alterum, id est, praedicati ad subjectum convenientia, aut si eidem copulae negatio apponitur, repugnantia, quum propositio est de materia necessaria, ut: Deus est aeternus, Deus non est mutabilis; vel inessentia aut non-inessentia, si propositio est de materia contingente, ut: Petrus est doctus, Petrus non est doctus.

b) Subjectum propositionis est id de quo aliquid dicitur; et potest significari per unum vocabulum, ut: „Petrus est doctus“; aut per plura, ut: „Petrus Apostolus fuerat piscator“; aut per propositionem, ut: „qui diligunt Deum, sunt beati.“ Si vero propositio quae ponitur in loco subjecti, est simpliciter adiacens ei, non autem apposita ad subjectum determinandum vel significandum, sic non pertinet ad subjectum reduplicative ut subjectum determinatae propositionis logicae, sed est alia propositio ab ea independens, ut si dicamus: „imitatores Christi, qui non sunt plerique hominum, sunt omnes Deo cari.“ Porro in hoc exemplo duae inveniuntur propositiones ab invicem independentes; nam subjectum imitatores Christi non indiget propositione ipsi adjuncta „qui non sunt plerique hominum“, haec autem exprimit per se solam iudicium absolutum, ita ut terminus qui aequivaleat pronomini simul et conjunctioni, et possint ambae propositiones sic pronuntiari unitae ut retento eodem sensu, unaquaeque appareat propositio completa, dicendo: „imitatores Christi sunt omnes Deo cari, et hi non sunt plerique hominum.“

— Praeterea subjectum, cum sit id de quo aliquid dicitur, dignoscitur per praedicatum, quod est id quod de aliquo dicitur, ita ut id sit propositionis subjectum de quo id quod in propositione dicitur, ex integro vel simpliciter dicitur: ideo in hac propositione „Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt unus Deus“ unicum est subjectum, licet in loco subjecti tres personae ponantur; quia praedicatum unus Deus non dicitur in hac propositione de singulis personis, sed de tribus simul sumptis; sensus enim ejus est: „Patris, Filii et Spiritus Sancti una numero est divinitas“ seu „tres una numero divinitate comprehenduntur.“ In hac autem

propositione „Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt aeterni“ multa subjecta inveniuntur, quoniam aeternitas convenit personis singulis. — Praeterea ex eo quod subjectum propositionis est id de quo dicitur id quod in propositione dicitur, sequitur etiam quod per praedicatum determinatur suppositio vel significatio subjecti, quando istud per se diversas patitur acceptiones: sic nomen Deus, quod potest supponere pro Patre, aut pro Filio, aut pro Spiritu S., aut etiam pro tribus simul sumptis, a praedicato propositionis dependet in suppositione sua, ut significet v. g. solum Patrem, si dicamus „Deus generat“; tres vero Personas per modum unius, si dicamus „Deus creavit coelum et terram“; etc. Alio etiam modo dependet a praedicato suppositio subjecti ut subjecti. In subjecto namque considerare oportet non solum rem aut personam quae in eo significatur, sed etiam qualitates, proprietates aut formas quae eidem rei vel personae insunt, et a quibus potest ipsa denominari. Si enim dico „musicus cantat“, subjectum musicus non supponit, in ratione subjecti, pro homine simpliciter, sed pro homine profitente artem musicam; id est musicus, non ut homo simpliciter, sed ut musicus, est subjectum hujus propositionis, quoniam secundum eandem artem convenit ei cantare. E contrario autem, si dicam „medicus cantat“, quoniam praedicatum non tribuitur subjecto ratione scientiae medicae. Igitur non est necesse ut quod in propositione dicitur, de subjecto dicatur secundum eam formam a qua ipsum denominatur; sed sufficit ut praedicatum subjecto aliquatenus conveniat. Ideo Christus Dominus noster de se dicere potuit: „Antequam Abraham fieret, ego sum“: vere enim Christus est aeternus, quamvis non secundum id est aeternus secundum quod dicitur Christus, id est, secundum humanitatem. Et eodem sensu verum est quod Filius Dei passus et mortuus est, id est, non secundum divinitatem. Nihilominus si non agatur de praedicatione alicujus attributi aut per modum attributi, sed de subjecto definiendo aut cum praedicato identificando, necesse est ut quod de subjecto dicitur, de illo dicatur secundum formam a qua subjectum ipsum denominatur; quoniam in utroque casu, id est, sive propositio sit definitio, sive simpliciter enuntiet identitatem utriusque termini, oportet ut id quod significatur per nomen subjecti, sit unum et idem cum praedicato, vel in sensu, ut ajunt, formali, vel in sensu identico. Ideo haec propositio „Christus est Filius Dei“ vera est, si praedicatum sumatur per modum attributi, ita ut hispane dicamus: „Cristo es Hijo de Dios“. Si vero quid sit Christus, per eandem propositionem definire quis intendat, definitio erit manca, quoniam Christus non est Filius Dei tantum, sed Filius Dei factus homo. Haec autem „Christus est divinitas“ est falsa; quia sensus hujus propositionis non est quod Christus habet divinitatem, prout significatur per istam „Christus est Deus“;

sed quod Christus et divinitas sunt unum et idem, quod est aperte falsum, nam praeter divinitatem inest Christo humanitas, quae in significatione nominis Christi involvitur. Si subjectum Christus posset in eadem propositione supponere pro sola persona, abstrahendo scilicet a forma unde nomen sumitur, propositio in hac hypothese esset vera, quoniam utique Filius Dei est divinitas: talis autem suppositio in casu est impossibilis, quoniam praedicatum est nomen abstractum, abstractum enim non dicitur de subjecto tamquam de simpliciter habente id quod per abstractum significatur, sed tamquam de termino identificationis cum eo. Si denique dicamus „Christus est Filius Dei“ significando identitatem utriusque termini secundum personalitatem, (hispane „Cristo es el Hijo de Dios“) propositio est quidem vera, non autem ut definitio, quia per definitionem declaratur quid sit res, per praedicatum autem Filius Dei non declaratur quid est Christus, saltem adaequate, sed tantum quis est, nam in praedicato non includitur humanitas, quae sane pertinet ad id quod Christus est. Neque praedicatum ejusdem propositionis dicitur de subjecto per modum attributi, siquidem significat personam ipsam sicut subjectum. Aliud profecto est dicere „Cristo es Hijo de Dios“, aliud vero „Cristo es el Hijo de Dios“; sicuti aliud est dicere „Christus ex Deo natus est“, aliud „Christus est qui ex Deo natus est“; in hac enim secunda propositione praedicatum significat ipsam Christi personam, licet alio nomine designatam quam in subjecto; in prima vero praedicatum non significat personam, sed processionem seu passivam generationem personae significatae per subjectum. Unde haec propositio „Christus est qui ex Deo natus est“ (Cristo es el Hijo de Dios) neque est definitio, nec attributi alicujus praedicatio, ut ostensum est: sed neque mera identificatio terminorum; in hac enim, ut si dicamus „in Deo intelligentia est amor“, indifferenter se habent termini ad locum subjecti et praedicati, siquidem non declaratur unus per alium, sed unum et idem (in sensu identico) esse dicuntur: non ita vero in propositione „Christus est qui ex Deo natus est“, quae vere est declarativa subjecti Christus per praedicatum qui ex Deo natus est.<sup>1)</sup>

e) Praedicatum propositionis est id quod de aliquo dicitur, id est, de subjecto. Dicitur autem aliquid de subjecto vel per modum definitionis seu tamquam constituens id quod per nomen subjecti significatur, ut: „homo est animal rationale“; vel tamquam quid essenziale subjecto aut pars essentiae ejus, ut: „homo est rationalis“; vel tamquam quid necessario consequens naturam

<sup>1)</sup> Quae de mysterio Incarnationis in hoc paragrapho asseruimus, secundum rigorem logicum intelligantur oportet; nam quaedam circa hoc mysterium permittuntur aut tolerantur locutiones, quae catholice quidem intelliguntur, sed ad Logicam regulas sunt minus exactae.

subjecti, ut: „homo est risibilis“; vel demum tamquam quid contingens subjecto, ut: „Petrus est doctus“. Praeter hos praedicationis modos alius non invenitur, quippe quibus continentur omnia quae de re qualibet ut ei convenientia dici possunt: id est, si praedicatum non est declarativum subjecti secundum id quod subjectum est vel secundum id quod habet, substantialiter aut accidentaliter, non est proprie praedicatum; ut contingit in propositione mere identificativa terminorum, qualis est haec: „in Deo intelligentia est amor“, de qua in praecedenti paragrapho locuti sumus; huiusmodi namque propositionis termini transponi possunt quin propositio inordinata evadat, sola enim affirmatio identitatis non postulat ordinem collocationis, quia verbum seu copula in tali affirmatione non deservit ad praedicandum unum de alio tamquam de suo subjecto, sed simpliciter ad illos uniendo vel identificandos; propter quod indiscriminatim dicere possumus: „in Deo intelligentia est amor“ aut „amor est intelligentia“. quia nihil dicit amor de conceptu intelligentiae, nec intelligentia de conceptu amoris. Non sic autem in propositione definiente, in qua id quod definitur, habet proprie rationem subjecti, et definitio rationem praedicati; ita ut licet definitum et definitio sint convertibilia quia inter se identica, non tamen indifferenter se habent ad locum subjecti et praedicati, quoniam definitio est id quod dicitur, et definitum id de quo dicitur; et ideo si convertantur, propositio est inordinata, ut si loco hujus „homo est animal rationale“ dicam „animal rationale est homo“: inordinata, inquam, est haec propositio, si spectetur ut definiens quid est homo; sed melius fortasse dicatur quod est mere identificativa terminorum, propositio namque definiens, facta terminorum conversione, desinit esse definiens, opinione mea, et transit in mere identificativam, ridiculum enim est in definitione a termino notiore procedere ad minus notum, quod quidem, terminis conversis, verificatur; unde haec propositio „animal rationale est homo“ hunc sensum habet: „animal rationale et ens quod dicitur homo, sunt unum et idem.“ — Propositio affirmans est mere identificativa terminorum quando praedicatum non est subjecti explicativum vel declarativum, nec aliquid significat illi contingenter adveniens. — Omnes termini et orationis particulae quae praedicato apponuntur ad significationem ejus determinandam vel complendam, de praedicati ratione participant unumque cum eo efformant, quatenus omnia simul sumpta sunt id quod de subjecto dicitur, ut si dicamus: „Sancti Martyres fortiter et alacriter mortem pro Christo subibant seu erant subeuntes“, ubi praedicatum his vocibus constat: „subeuntes fortiter et alacriter mortem pro Christo“, ipsae quippe significant per modum unius id quod dicitur de subjecto. Per modum unius autem dixi, quoniam unicum revera ibi est praedicatum,

nam adverbia fortiter et alacriter et casus obliquus pro Christo non sunt praedicata distincta a morte subeuntes, sed modi et motivum, seu circumstantiae toleratae mortis. Et ita in alio quovis casu consimili, quantumvis termini vel particulae orationis in loco praedicati multiplicentur. — Praedicata in propositione non multiplicantur nisi per plures terminos ab invicem independentes secundum quod subjecto attribuuntur, quatenus nempe unus non afficit alium aut non est modificatio alterius, sed unusquisque per se solum habet completè rationem praedicati in determinata propositione: quapropter in hac propositione „Cicero fuit orator eximius“ unum tantum est praedicatum, quoniam terminus eximius non praedicatur de Cicerone per se solum, sed ut efficiens terminum orator. Uterque autem seorsim aptus est ad constituendum per se praedicatum, quod reapse constitueret si diceretur: „Cicero fuit orator“, „hic orator (demonstrato Cicerone) est eximius“. Si autem dicamus: „Cicero fuit orator et philosophus“, sic in una propositione (quae duabus aequivalet) duo praedicata junguntur. — Notare demum oportet in praedicato modum supponendi a suppositione subjecti longe diversum. Subjectum enim, ut subjectum, seu in sua relatione ad praedicatum, non necessario supponit pro eo quod nomen sonat, ut si dicam „medicus cantat“, sed talis suppositio pendet a conditione praedicati; praedicatum autem semper supponit, ut praedicatum, pro eo quod nomen significat, quia id quod nomen significat, est quod dicitur de subjecto. Verumtamen in eo quod nomen praedicati significat, distinguenda sunt genus rei per nomen significatae et species quae sub eodem genere possunt comprehendi, nec non gradus perfectionis in unaquaque specie. Porro si propositio sit affirmans, ut: „asinus est vivens“, cum praedicatum debeat aptari subjecto, non potest illud supponere pro tota amplitudine suae significationis, sed conceptus genericus rei significatae applicatur subjecto secundum speciem quae illi convenit; et sic in exemplo adducto praedicatum vivens, quod per se significat vitam in genere, applicatum asino coarctatur ad vitam animale quae asino competit cum exclusione vitae superioris. Si autem praedicatum vivens dicatur de angelo, cum angelus vivat vitam pure spiritualem, qua nulla est specie superior, nequit praedicatum coarctari secundum perfectionem speciei, sed secundum gradus perfectionis intra eandem speciem, si tamen subjectum propositionis sit determinatus angelus, non angelus in genere. Coarctatur etiam in angelo idem praedicatum vivens per comparisonem ad Deum, qui angelo, sive in genere sumpto sive in individuo, est infinite superior, neque ulla specie continetur, sed est principium omnis speciei: propter quod angelus, ut participans de perfectione vivendi, dicitur vivens seu habens

vitam; de Deo autem in quo est vitae plenitudo et subsistens essentia, vita ipsa (per nomen substantivum) praedicatur. Et haec de propositione affirmante. In propositione vero negante, ut: „lapis non est vivens“, praedicatum semper supponit pro tota amplitudine suae significationis, non modo quia per subjectum non coarctatur, cum ei non sit aptandum, sed contra ab eo removeatur; sed etiam quia removeatur ab eo quidquid sub notione nominis (praedicati) generica comprehenditur.

d) Terminus qui praedicatum dicitur, praedicatum non est nisi per verbum, per quod id quod idem terminus significat, subjecto tribuitur, aut negatione adjecta removeatur ab eo. Verbum autem vel significat solam unionem aut identitatem terminorum, quo in casu convenit ei nomen copulae, et est unicum, nempe, sum, es, quod in reliquis omnibus verbis invenitur implicitum; vel insuper continet in se praedicatum, qualia sunt omnia praeter illud quod copula dicitur, quaequae proinde resolvi possunt in duo vocabula, copulam nempe et terminum. Sic haec propositio „Deus amat hominem“ isti aequivalet „Deus est amans hominem“. — Praeterea verbum una cum unione praedicati cum subjecto indicat etiam tempus quo unio ipsa verificatur. De unione autem hic loquor, non de identitate terminorum; quia quando termini sunt identici seu propositio est de materia necessaria, tunc habitudo praedicati ad subjectum praescindit ab omni tempore, tempus enim locum non habet nisi in contingentibus. Ridiculum sane foret dicere: „nunc homo est rationalis“: bene autem dicitur: „nunc (tempore quo haec scribo) Leo XIII. regit Ecclesiam“. Igitur in propositione de materia necessaria verbum nullum tempus, ne praesens quidem, significat, sed solam habitudinem inter terminos. Hoc autem intellige de verbo in tempore praesente modi indicativi, nam a reliquis verbi casibus tempus est inseparabile. Si vero in propositione de materia necessaria velit loquens significare tempus, debet hoc significari per aliud vocabulum, non per solum verbum: nam verbum in tempore praesente non enuntiat in tali propositione nisi habitudinem inter terminos; in tempore autem praeterito vel futuro, loquendo de materia necessaria, nequit verbum usurpari nisi exprimat vel sub intelligatur in propositione vox alia significans tempus ipsum. Sig v. g. si dicam: „totum majus est sua parte“, nihil aliud enuntiat propositio nisi identitatem terminorum. Si autem simul cogitem id quod per propositionem enuntiat, verificari omni tempore, et hanc cogitationem (judicium) in propositione ipsa exprimere velim, non est satis dicere „totum majus est sua parte“, sed addere oportet „et nunc et semper“ vel aliud aequivalens. Nec potest dici: „totum fuit majus sua parte“ vel „erit majus sua parte“, quod ridiculum esset: bene vero dicitur: „totum semper fuit majus

sua parte“ vel „semper erit majus sua parte“. Et revera vocabula vel nihil significant, vel aliud non sunt, in ratione signi, quam ipsae conceptiones mentis sensibilibus expressae; et ideo cum tempus non concipiatur a mente in judicio de materia necessaria, neque potest verbum in propositione illud significare. Unde si divina tantum, et modo quidem Deo congruente, per propositiones exprimentenda essent, tempora omnia e verbo expungere oporteret: nam si dicitur de Deo: „Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret“, et: „Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui“, etc.; haec dicuntur quoad tempus modo limitationi nostrae accommodato, atque etiam per respectum ad res creatas, quae mutationi et successioni sunt obnoxiae; nequaquam autem modo perfectioni divinae congruente, nam in Deo nihil incipit nec transit, sed omnia fixa sunt et immobilia, sicut immobilis est aeternitas, quae e diametro opponitur tempori. Ex quibus inferes verbum primario et essentialiter significare habitudinem inter terminos; secundo autem et quasi per accidens etiam tempus, quando scilicet concipitur et dicitur aliquid contingens vel mutationi obnoxium, aut ad instar contingentis vel mutabilis aliquid quod est necessarium. Ad cuius rei perfectam intelligentiam considerare juvabit quod tempus praesens verbi sum, es in modo indicativo vel significat tempus praesens quod fluit, vel id quod res est ex natura sua: jam vero prima significatio admitti nequit in propositione de materia necessaria, ut ex necessitatis notione est manifestum; et ideo in propositionibus hujusmodi non invenitur tempus. Quoad propositiones vero de materia contingente tempus praesens verbi non sufficit, quia diversa sunt tempora quibus res contingentes existunt, praesens nempe, praeteritum et futurum; et ideo ad veritatem iudicii in propositionibus istis requiritur ut verbum tempora diversa consignificare valeat in quibus res sunt aut fiunt. Consignificari autem dico tempus per verbum, et non significari simpliciter, quoniam verbum consistit essentialiter in affirmatione praedicati de subjecto; temporis autem circumstantia necessario superadditur quum sermo est de rebus in tempore existentibus.

— Dixi autem verbum consistere essentialiter in affirmatione praedicati de subjecto: 1<sup>o</sup>. quia verba quae continent in se praedicatum, non sunt verba ratione praedicati in eis contenti, sed ratione copulae in eis etiam implicitae, per quam praedicatum ipsum quod significant, attribuitur subjecto. Copula autem 2<sup>o</sup>. in affirmatione, et in sola quidem affirmatione praedicati de subjecto essentialiter consistit (et ideo sane dicitur copula) quoniam aliud non est essentialiter munus ejus in propositione nisi terminos unire; nam quando separandi sunt, adjungitur ipsi negatio. Porro negatio semper verbum, numquam afficit terminum; quoniam sicut

error esset affirmationem cum eo quod affirmatur, aut de quo affirmatur, confundere, idem omnino dicendum est de negatione, nam contrariorum eadem est ratio. Licet autem quandoque negatio praeponitur terminis, ut: „omne non animal est non homo“, verum in tali casu subintelligitur verbum, ita ut sensus sit: „omne quod non est animal, est aliquid quod non est homo“.

3<sup>o</sup>. Denique advertendum est quod praeter affirmationem praedicati de subjecto, quam vocare possumus affirmationem verbi, est affirmatio propositionis relate ad actum mentalem seu ad iudicium; omnis enim propositio est essentialiter affirmativa secundum quod est expressio actus mentalis vel certitudinis de veritate cognita; quod quidem verificatur sive termini uniantur per affirmationem, sive per negationem separentur. Affirmationem autem praedicati de subjecto affirmationem verbi nuncupavi, non quia quam dixi affirmationem propositionis, non sit etiam affirmatio verbi, sed quia non est solius verbi: si enim negationem verbo apponas, iam non est affirmatio unius termini de alio, sed negatio; et nihilominus propositio est affirmativa quatenus est expressio cognitae a mente veritatis. Vnde affirmatio, secundum comparisonem terminorum inter se, est solius verbi: secundum relationem vero signi externi quod est propositio, ad mentis iudicium, in propositionibus negativis est verbi simul et particulae negativae illi appositae. Et hanc praeterea notare oportet differentiam inter affirmationem et negationem, quod negatio semper indiget affirmatione, numquam vero affirmatio negatione: et ratio est, quia affirmare est ponere aliquid, negare autem est remove aliquid; et sicut ens concipitur et dicitur per se, non ens autem, ut vox ipsa indicat, non concipitur nec dicitur nisi per ens, id est, per entis remotionem, ita pariter affirmatio concipitur et dicitur per se, negatio autem non concipitur nec dicitur sine affirmatione; id est, non datur propositio sine copula, quae in affirmatione consistit, datur autem sine negatione. Nec obstat quod potest affirmari aliquid quod non sit aliquid reale vel positivum, sed carentia vel privatio realitatis, ut: „diabolus caret gratia Dei“; nam affirmatio non datur si non affirmetur aliquid; non potest autem aliquid affirmari, si non affirmetur ut ens aut per modum entis, licet sit carentia vel privatio entis, quoniam non-ens non est aliquid, et consequenter nec affirmationis objectum. Et sic verificatur quod affirmare est ponere aliquid, quatenus id quod affirmatur, licet in se non sit aliquid, sed carentia realitatis, nihilominus tamquam aliquid attribuitur subjecto.

e) Ex dictis copula propositionis definiri potest: „Vox per quam praedicatum propositionis attribuitur subjecto, actus mentalis expressiva quo terminorum inter se cum certitudine percipitur convenientia: quaeque tempus etiam significat, si unio terminorum

in tempore facta percipiatur a mente.“ At haec definitio multum differt ab ea qua verbum „a Philosophis“, ut legitur apud Vrráburu, (Log. Min., pag. 231, n. 97) „ad mentem Stagiritae describitur: Vox significativa ad placitum, finita ac cum tempore, cujus nulla pars significat separatim, et semper eorum quae de alio praedicantur, est nota“ Oportet ergo ut praeter ea quae nostrae definitioni praemisimus, quibus ipsa satis, ut puto, et quidem per argumenta directa commendatur, rationem ejus nihilominus reddamus indirectam, aliquas adjicientes observationes circa definitionem quam e Logica laudati auctoris transcripsimus, a quibus, ut confidimus, praefata argumenta nostra majorem claritatem ac robur mutuabunt. Igitur in definitione nostra verbum vocem simpliciter esse dicimus, appositum autem significativa ad placitum (id est, significativa non naturaliter, qualiter significat v. g. gemitus, sed conventionaliter) in primis omitimus, quia in necessarium judicamus, eo vel magis quod non descriptionem, sed rigorosam definitionem nos praebere intendimus; nimis enim perspicua res est unionem praedicati et subjecti per vocem non naturaliter sed conventionaliter significativam necessario esse efficiendam; talibus quippe et non aliis constat propositio, talesque intelliguntur et supponendae sunt voces omnes quibus sermo oralis componitur, quoniam tales sunt de essentia ejus; et consequenter non est opus determinatione illa quae in definitione Aristotelica adhibetur. Deinde vocabulum finita a nostra definitione excludimus, quia terminus iste in copulam quam nos definimus, non quadrat; dicunt enim verbum vocem finitam respectu praedicati quod in verbo adjectivo includitur. Item nihil ad nos de membro illo definitionis „cujus nulla pars significat separatim“ (quod idem est ac dicere verbum esse vocem incomplexam); nam hoc etiam spectat ad verba adjectiva, quae ex pluribus vocibus per se significativis, ut benefacere, componi possunt. Quoad reliquas autem definitionis partes audiamus P. Vrráburu: (n. 98) „Quare, si bene res consideretur, tria importat verbum: formam aliquam significat ex hominum placito, v. gr. existo significat existentiam, curro cursum, amo amorem, ago actionem. Et in hoc verbum convenit cum nomine itemque cum participio, nam easdem illas formas significant nomina haec, existentia, cursus, amor, actio.“ Sed etiam haec forma, quam verbum importare dicitur, et in ultimo definitionis Aristotelicae significatur inciso „et semper eorum quae de alio praedicantur, est nota“, pertinet ad verbum quod continet in se praedicatum, non ad copulam quam nos definimus. Alium autem sensum praeter expositum habet juxta Vrráburu idem incisum, quod scilicet verbum est nota seu signum eorum quae de alio praedicantur, quatenus „in omni praedicatione oportet esse verbum est, quod verbum importat compositionem

qua praedicatum componitur subjecto“. (Ex S. Thoma, apud eundem auctorem, ibidem.) Hoc autem, quoad unionem praedicati et subjecti per verbum *sum*, *es*, libenter concedimus, et in definitione nostra habetur explicitum: nequaquam vero illud admittimus, quatenus per solum tempus praesens modi indicativi ejusdem verbi *sum*, *es* omnis sit praedicatio facienda, ita ut tempora verbi praeteritum et futurum non sint proprie verbum, sed casus verbi. Sed de hoc inferius disputabimus. — Iam ex tribus quae P. Vrráburu distinguit in verbo, solum superest tempus, circa quod ita ratiocinatur: (ibidem) „Consignificat verbum deinde tempus, et in hoc differt a nomine. Etenim nomen significat formam seu rem tamquam per se existentem; verbum autem illam significat per modum actionis et passionis. Quod probe nota, non enim est idem significare actionem et passionem, et significare per modum actionis. Multa sunt nomina, quae actionem et passionem significant, at in abstracto, et non per modum actionis, sed instar rei cujusdam per se existentis. Et e converso sunt etiam verba, quae nec actionem nec passionem proprie significant v. g. *existo*, *quiesco*, *sisto*, *ardeo*, *albescio*, etc., sed tamen semper significant formam suam per modum per actionis et passionis, nimirum significant formam ut egredientem et manantem a subjecto, et eidem inhaerentem. Et quia id quod primo et principaliter tempore mensuratur, est motus, in quo consistit actio et passio, ideo verbum, quod significat actionem et passionem, significat cum tempore. (Ex S. Thoma.)“ Antequam autem ad haec respondeam, notare oportet quod si verbum adjectivum essentialiter significat tempus, copulae quoque essentialiter istud esse debet, quoniam tempus convenit verbo adjectivo ratione copulae in eo implicitae, non ratione praedicati. Et ratio est, quia copula significat unionem praedicati cum subjecto, tempus autem se habet tamquam circumstantia hujus unionis; et ideo copulae, utpote unionem significanti, non praedicato, quod est unionis extremum, debet tempus inhaerere. Et jam rationem discutiamus, quam assignat P. Vrráburu cum S. Thoma, cur significatio temporis sit de essentia verbi. Verbum, ait ille, significat formam per modum actionis et passionis, id est, ut egredientem et manantem a subjecto, et eidem inhaerentem. Et addit S. Doctor: „Et quia id quod primo et principaliter tempore mensuratur, est motus, in quo consistit actio et passio, ideo verbum quod significat actionem et passionem, significat cum tempore.“ Ad haec dico 1<sup>o</sup>): Motus qui tempore mensuratur, non est motus latissime sumptus pro actione vel operatione, sed motus secundum prius et posterius: falsum enim est quod in actione, ut sic, sit prius et posterius (nam hoc pendet a conditione subjecti agentis, et ideo in actione Dei, qui immutabilis est atque aeternus,

non est prius et posterius) et proin error esset actionem cum motu confundere qui tempore mensuratur. Dico 2<sup>o</sup>): Verum est quod in passione, et etiam in actione et passione conjunctim, est prius et posterius, quatenus est in omni ente in quo invenitur compositio potentiae et actus. Unde 3<sup>o</sup>) sive verbum significet proprie actionem vel passionem, sive nonnisi per modum actionis vel passionis, eatenus significat cum tempore quatenus propositio est de materia contingente, aut materia necessaria enuntiatur ad modum contingentis, quoniam in solo ente contingente locum habet prius et posterius: aut alio modo: quoniam tempus, ut supra dixi, est circumstantia unionis praedicati cum subjecto, quam circumstantiam materia metaphysice necessaria non admittit. Nec dicatur quod sicut simplicia qualia in se sunt, repraesentare in mente non valemus, sed ad instar compositorum, similiter necessaria repraesentamus ad instar contingentium, et inde fit ut verbum semper significet cum tempore; haec, inquam, ratiocinatio non concludit, quoniam error substantialis latet in ea: nam propositio, tamquam expressio iudicii, quae in copulae affirmatione consistit, vel in copula et negatione ipsi apposita, non est expressio repraesentationis mentalis, sed expressio intellectionis. Repraesentatio enim relatio similitudinis est, intellectio autem vel iudicium actus perceptionis: et ideo repraesentatio convenit speciebus imaginationis quas a rebus sensibilibus accipimus; intellectiva autem virtus animae, ad quam pertinet iudicium quod per propositionem exprimitur, non coarctatur ad ea quae sensus nobis referunt, contingentia nempe et mutabilia, sed versatur etiam circa immutabilia et necessaria, ad quarum intellectionem speciebus mutabilium anima utitur per virtutem abstractivam. Jam vero sermo oralis et significat rem intellectam secundum intentionem loquentis, et exprimit actum intellectionis seu iudicium mentis: propositio ergo expressiva iudicii de re necessaria praescindit ab omni tempore sicut res ipsa et actus mentis, in qua non erit veritas, si de re non iudicet secundum ejus essentiam. Si dicam v. g. „Deus amat se“, actionem sane significo, sed actionem sine tempore: licet enim ad amorem Dei repraesentandum specie utar ex amore accidentali et contingente quem in me experior, desumpta; omnem tamen imperfectionem amoris mei a divino removeo, ipsumque tamquam intelligo qualis de Deo praedicandus est, substantialem nempe et necessarium, in quo proinde motum secundum prius et posterius non invenio, sed actionem fixam et immobilem; et ideo, cum propositio sit expressio ejus quod intelligitur, per hanc „Deus amat se“ non significo amorem qualem in me experior, sed qualem Deo convenire intelligo, substantialem, necessarium, extra omne tempus. Similiter si dicam: „homo est rationalis“, quamvis hujus propositionis enuntiatio fiat per modum passionis

vel inhaerentiae eo quod praedicatum sit nomen adjectivum, mentis tamen iudicium, per propositionem expressum, non est de re inhaerente, id est, essentiae subjecti superveniente, in qua sit invenire prius et posterius, sed de re ad eandem essentiam pertinente. fixa proinde et immutabili, quae praescindit ab omni tempore. Talis est quam in tali iudicio mens intelligit, et consequenter significat propositio, quae est expressio cognitae a mente veritatis.

f) Verum addit praeterea P. Vrráburu: (pag. 237, n. 100, paragr. ultimo) „Nihilominus dicendum videtur etiam in propositionibus aeternae veritatis ac de materia necessaria verbum est semper significare tempus, ita tamen ut unio extremorum non restringatur praecise ad differentiam temporis expressam per verbum, sed ita ut transiliat omne tempus. Et hoc est absolvi a tempore, nimirum, non alligari vel coartari ad tempus aliquod, minime vero nullum significare tempus.“ Sed notetur quod P. Vrráburu asserit ex una parte „etiam in propositionibus . . . de materia necessaria verbum est semper significare tempus“; ex alia vero addit: „ita tamen ut unio extremorum non restringatur praecise ad differentiam temporis expressam per verbum, sed ita ut transiliat omne tempus.“ Quid enim est quod verbum semper significat tempus, in materia autem necessaria unio extremorum non restringitur per verbum ad differentiam temporis, et quod differentia temporis est expressa per verbum? quid autem est differentiam temporis esse expressam per verbum nisi verbum significare differentiam temporis? Et quid contra est unionem extremorum non restringi per verbum ad differentiam temporis nisi verbum non significare differentiam temporis? Quid contradictione ista manifestius? Numquid in propositionis enuntiatione, praescindere licet a significatione vocabulorum? porro in tantum propositio est expressio iudicii in quantum vocabula quibus constat, aliquid determinatum significant. Sicut ergo unio extremorum ideo fit per verbum quia verbum illam significat, similiter unio ipsa necessario restringitur ad differentiam temporis quae significetur per verbum. Ideo autem in praefatam P. Vrráburu incurrit contradictionem, quia supponit ut jam demonstratum significationem temporis esse de essentia verbi, quod in paragrapho praecedenti ostendimus esse falsum: posito enim verbum semper significare tempus, necessario significatio ejus restringitur semper ad aliquam differentiam temporis, quia tempus praesens verbi non significat praeteritum aut futurum, nec tempus futurum verbi significat praesens aut praeteritum, etc.; et inde est quod P. Vrráburu, quamvis vult unionem extremorum in propositione de materia necessaria non restringi ad differentiam temporis, fateri tamen cogitur differentiam temporis etiam in tali propositione significari

per verbum Prosequitur autem dicens: „In caeteris enim propositionibus, v. g. cum dicitur: „Petrus currit“, „Ioannes praedicavit“, „Paulus erit doctus“ etc., vi verbi cursus Petri restringitur ad tempus praesens, et verificatur propositio, licet nec ante nec post locum habeat cursus: itemque praedicatio Ioannis limitatur ad praeteritum, et Pauli doctrina ad futurum. At vero in propositionibus aeternae veritatis praedicatum non solum convenit subjecto in tempore per verbum expresso, sed etiam in quocumque alio tempore ac duratione per totam aeternitatem, ut si dicas: „Homo est animal“, animalitas non solum verificatur de homine nunc in tempore praesente, quod enuntiat verbum est, sed ante, et post et semper; ut aequivaleat huic propositioni: „Homo, in quocumque tempore fuerit, essentialiter est animal“; vel „de ratione hominis, in quocumque statu concipiatur, est animalitas“. Id quod significavit M. Augustinus, cum scripsit: „Septem et tria decem sunt, et non solum nunc, sed semper“. (Libr. 2 de libero Arbitrio, cap 8.) Sed si in propositionibus aeternae veritatis verbum est enuntiat determinatum tempus. ait enim P. Vrráburu: „in propositionibus aeternae veritatis praedicatum non solum convenit subjecto in tempore per verbum expresso, sed etiam in quocumque alio tempore,“ etc.; et rursus: „si dicas: homo est animal, animalitas non solum verificatur de homine nunc in tempore praesente, quod enuntiat verbum est“, etc.; si, inquam, in propositionibus de materia necessaria verbum est enuntiat tempus praesens, et in propositionibus de materia contingente vi verbi est restringitur praedicatum ad tempus praesens, ubinam, quaeso, est oppositio, quoad tempus significatum per verbum, inter unius et alterius generis propositiones, quam auctor habet in mente? In mente utique erit, sed non in sermone ejus. Et quare non in sermone ejus, nisi quia opinio ejus pugnat cum quibusdam locutionibus ejus? vult siquidem quod verbum est enuntiet tempus praesens, et simul quod praedicatum non restringatur per illud ad tempus praesens. Quid est enuntiare tempus praesens nisi significare tempus praesens? si autem unio extremorum propositionis non restringitur ad tempus expressum per verbum, poterit quidem esse verum quod loquens cogitat, dictae nempe restrictionis negatio, sed talis cogitatio per propositionem non exprimitur: si vero unio extremorum propositionis restringitur per propositionem ipsam ad tempus significatum per verbum, quomodo duo praefata auctoris placita, quod scilicet verbum est enuntiat tempus praesens, et quod praedicatum non restringitur per illud ad tempus praesens, compossibilia sunt? Vnde autem impossibilitas ista nisi ex eo quod contradictio quae latet menti auctoris, in littera ejus, ob locutionum pugnam, rem attente consideranti fit manifesta? Ut igitur propositio signi-

ficet id quod loquens intelligit et per eam significare intendit, necesse est ut in propositionibus de materia necessaria verbum est praescindat a tempore; alioquin enim praedicatum propositionis restringitur per verbum ad tempus praesens, quia verbum est aut significat tempus praesens tantum, aut praescindit a tempore. Et ad pleniorē hujus puncti dilucidationem considerare juvabit quod differentiae temporum, praesentis nempe, praeteriti et futuri, sunt de essentia temporis, sicut de essentia ejus sunt prius et posterius; et ideo posito quod verbum significat tempus, necessario declinatur per tempora praesens, praeteritum et futurum, vel aliquo modo significat differentias temporum. Vnumquodque igitur tempus verbi significat aliquam differentiam temporis, videlicet, tempus praesens verbi solum tempus praesens quod labitur, nihil autem de praeterito aut de futuro; et sic de aliis singulis. Hinc P. Vrráburu tribuere cogitur verbo est solius temporis praesentis significationem, ut dum ait: „ad differentiam temporis expressam per verbum“, vel: „in tempore praesente quod enuntiat verbum est“: et adverte quod in his locis loquitur de verbo est in propositionibus de materia necessaria. Si ergo in propositionibus de materia necessaria inconueniens est quod verbum est solum significet tempus praesens, consequens est quod verbum in talibus propositionibus nullum significare tempus. Si quis autem mihi reponat quod licet verbum est non enuntiet nisi tempus praesens, in propositionibus tamen de materia necessaria reliqua tempora, in quibus verificatur propositionis enuntiatum, sunt in mente loquentis; respondeo quod quaestio non est de iis quae potest quis cogitare dum loquitur, sed de iudicio quod per propositionem exprimitur: et ideo si verbum est non potest enuntiare omnia tempora, sed solum tempus praesens, consequens est quod quando unio extremorum non potest ad tempus praesens coarctari, et nihilominus vera est propositio adhibendo tempus praesens verbi, ut contingit in propositionibus de materia necessaria, tum verbum est solam enuntiet habitudinem terminorum praescindendo ab omni tempore, imo et ab aeternitate in quantum nihil dicitur de duratione rei; quia iudicium mentis, quod per propositionem exprimitur, efformatur attendendo ad solam habitudinem terminorum praescindendo ab omni duratione, siquidem ipsa habitudo praescindit a tempore, et ejusdem proinde habitudinis cogitatio independens est a cogitatione temporis vel durationis. Omnis namque propositio non significat omnia quae circa materiam ejus potest cogitare qui illam pronuntiat, sed ea dumtaxat quae continentur in iudicio cujus propositio ipsa expressio est: unde quamvis pronuntians propositionem de materia necessaria cogitet actu de omnibus temporis differentiis in quibus illa verificatur, (quod saepe non contingit) propositio tamen nihil de tempore nec de

aeternitate significat, quia mens de his cogitare necesse non habet ad percipiendam habitudinem terminorum. Propter quod si temporis differentias vel aeternitatem in quibus determinatum iudicium verificari quis cogitat, velit vocabulis significare, solum verbum est ad hoc non sufficit, sed addenda sunt in propositione vocabula quae temporis differentias vel aeternitatem significant, ut videre est in illo exemplo a P. Vrráburu allato: „septem et tria decem sunt; et non solum nunc, sed semper“, quod proinde confirmat sententiam nostram, nedum faveat doctrinae suae. Et revera, sive illud semper significet omnes temporis differentias sive aeternitatem, redundantem et ridiculam efficeret propositionem, si jam in significatione verbi sunt contineretur, sicut si huic propositioni „Pius IX. rexit Ecclesiam“ adderetur „et hoc contigit tempore praeterito“. Propositioni ergo „septem et tria decem sunt“ ideo additur „et non solum nunc, sed semper“, quia aeternitas vel tempora omnia in quibus propositio ipsa verificari cogitatur, per ejusdem propositionis verbum non exprimentur, sed sola habitudo terminorum; eo quod cum habitudo necessaria ad aliquod non sit tempus coarctata, mens dum illam percipit, necesse non habet de tempore cogitare, secus atque accidit in iudicio de materia contingente, quae successioni temporis est obnoxia; in quo proinde iudicio per propositionem expresso significatur tempus per verbum una cum habitudine terminorum. Quoniam igitur in propositione de materia contingente tempus significatur per verbum, ideo in tali propositione non est locus additioni vocabulorum, quam admittit propositio de materia necessaria, ad significandum tempus in quo habitudo terminorum propositionis ejusdem verificatur. Ecce cur propositioni „septem et tria decem sunt“ licet addere „et non solum nunc, sed semper“; ridiculum autem esset propositioni „Pius IX. rexit Ecclesiam“ adjungere „et hoc contigit tempore praeterito“.

g) Igitur significatio temporis non est de essentia verbi; attamen verbi solius est propria, et tunc locum habet in eo cum illam exigit materia propositionis. Et ratio est, quia essentia copulae consistit in affirmatione praedicati de subjecto, quoniam copula est expressio certe cognitae convenientiae terminorum: et ideo quando unio terminorum percipitur ut facta in tempore, vel ut obnoxia successioni temporis, tum copula significat etiam tempus tamquam circumstantiam dictae unionis. Recte itaque definitur copula: „Vox per quam praedicatum propositionis attribuitur subjecto, actus mentalis expressiva quo terminorum inter se cum certitudine percipitur convenientia: quaeque tempus etiam significat, si unio terminorum in tempore facta percipiatur a mente.“ Copulam autem definivi, et non verbum adjectivum, quia in copula est tota ratio verbi, et verbum adjectivum non

est verbum nisi per copulam, non enim distinguitur a copula nisi secundum praedicatum quod in eo involvitur; praedicatum autem est unum ex extremis per copulam uniendis, et proinde verbo adjectivo non ratione praedicati, sed ratione copulae in illo etiam involutae, convenit significatio unionis vel habitudinis terminorum inter se, sicuti etiam significatio temporis, quod ad ipsam unionem pertinet tamquam circumstantia ejus. Cum ergo verbum adjectivum non sit verbum nisi secundum significationem habitudinis terminorum et temporis, et utramque significationem copula habeat, patet quod definita copula, definitum est verbum simpliciter.

h) Notare insuper oportet circa verbum *sum, es*, considerari ipsum posse vel ut continens in se praedicatum realis existentiae sicut verbum *existo*, vel ut copula tantum, id est, ut solam denotans compositionem praedicati cum subjecto. Dissensio autem est inter auctores circa id quod significat verbum *est*, seclusa significatione existentiae realis, seu in propositionibus quas vocant de tertio adjacente, in quibus praedicatum adest expressum tamquam terminus, non in verbo inclusum, ut in hac „Deus est aeternus“: alii enim opinantur verbum *est* in ejusmodi propositionibus esse meram copulam, seu officium ejus esse tantum copulare praedicatum cum subjecto: alii vero volunt quod significet praeterea „actum essentiae seu entitatem in communi, vel rationem communem entis, quae deinde determinatur per adjunctum praedicatum: ut si dicatur „Homo est animal“, sensus sit: „Homo est ens animale“, seu habet entitatem animalis; et similiter si dicatur: „Homo est albus“, idem sonet ac „Homo est ens album“. Quamobrem in hac sententia verbum *sum, es, est*, etiam in propositionibus de tertio adjacente, suam habet peculiarem significationem, ut quodvis aliud verbum: nec est mera copula, sed exprimit partem praedicati, quae simul cum attributo peculiari, expresso in ejusmodi propositione, constituit tandem integrum praedicatum quod de subjecto enuntiatur, ut videre est in allatis exemplis“. (Apud P. Vrráburu, pag. 236) Ego autem primae sententiae subscribo ob rationes sequentes: 1<sup>o</sup>) Si propositio „homo est animal“ mutetur in „homo est ens animale“, de copula secundae dicendum erit quod aut est mera copula, aut non habet rationem verbi: non datur medium. Nam ratio entis in communi habetur in termino *ens* qui in verbo est propositionis primae dicitur contineri, quique impossibile est ut in verbo secundae contineatur, nisi multiplicetur in infinitum; nam etiam verbum propositionis secundae deberet resolvi in copulam et terminum *ens*, et ita in tertia et aliis sine fine; praeterquam quod resolutione hac semel facta, redundans est in verbo talis significatio entis, quia jam terminus *ens*, qui in verbo dicitur contineri, in loco

praedicati adest expressus. Vnde manifestum fit quod si verbum propositionis primae continet in se terminum ens, non potest illum continere verbum propositionis secundae, sed hoc est mera copula. Ergo vel concedendum quod mera copula habet rationem verbi, et sic non est cur verbo propositionis primae „homo est animal“ tribuatur significatio entis in communi; vel si mera copula non habet rationem verbi, propositio secunda „homo est ens animale“ caret verbo, et sic non est propositio, quod nemo sanae mentis admittet. Sed quare, 2<sup>o</sup>) quaeso, addendus est terminus ens ad praedicati integritatem? Numquid animal per se non significat ens? numquid ens commune contrahitur ad inferiora per differentias extra genus entis positas, ut dicere animal non sit dicere ens? Cum igitur animal et ens animale idem omnino sonent, sine causa tribuitur verbo est significatio entis in communi. 3<sup>o</sup>) Demum dico: ne partes quibus propositio logica essentialiter constat, confuse permisceantur, oportet excludere a notione verbi quidquid pertinet ad praedicatum: jam vero ad praedicatum pertinet quidquid dicitur de subjecto; et consequenter sola superest copulae tribuenda significatio compositionis praedicati cum subjecto. — Oportebat sane istam quoque tractare quaestionem, ad definitionem copulae quam tradidimus, non ab erroris tantum, sed a deficientiae etiam nota vindicandam; in ea quippe non aliud officium copulae assignamus quam praedicatum subjecto componere, addita dumtaxat, et quidem pro materiae exigentia, significatione temporis tamquam circumstantiae unionis.

i) Sed adhuc non omnia de copula dicta sunt. Significatio temporis, diximus, locum habet in verbo cum illam exigit materia propositionis: quo quidem in casu, sicut in actu mentalis perceptionis determinatum tempus inseparabile est ab habitudine inter terminos, ita pariter in propositione debet idem tempus significari per copulam, et etiam per verbum adjectivum, quoniam verbum est expressio perceptae habitudinis terminorum: id est, verbum propositionis debet significare tempus praesens, praeteritum aut futurum, prout in aliquo ex his res cognita verificetur. Verum hac de re sequentia leguntur apud P. Vrráburu: (pag. 234) „Immo idem docet S. Thomas cum Aristotele de ipso indicativo modo respectu praeteriti ac futuri temporis, videlicet, bina haec tempora non esse verbum proprie, sed casus verbi. Cum enim verbum proprie sit quod significat agere vel pati, hoc est proprie verbum quod significat agere vel pati in actu, quod est agere vel pati simpliciter. Sed agere vel pati in praeterito vel futuro est secundum quid. Dicuntur etiam verba praeteriti vel futuri temporis rationabiliter casus verbi, quod con-significat tempus praesens, quia praeteritum vel

futurum dicitur per respectum ad praesens. Est enim praeteritum quod fuit praesens, futurum autem quod erit praesens. (S. Thom. lib. 5 Metaph. lect. 5 paragr. e) Et est haec apud Philosophos communissima sententia.“ Nihilominus huic ego sententiae ob graves, ut puto, rationes subscribere non possum. Talis in primis mihi videtur quam supra pro mea sententia adduxi, sic videlicet necessario se habere tempus ad verbum in propositione sicut se habet in actu mentali ad habitudinem inter terminos, quae per verbum exprimitur, siquidem propositio, quoad significationem rei intellectae, debet esse iudicio identica; et consequenter, si mens intellexit unionem aut separationem terminorum veram esse in tempore futuro, in propositione hujus actus mentalis expressiva illud erit vere et proprie verbum quod veritatem intellectam enuntiet in tempore futuro. Sed veniamus ad argumentum S. Thomae. „Cum enim verbum, ait, proprie sit quod significat agere vel pati, hoc est proprie verbum quod significat agere vel pati in actu, quod est agere vel pati simpliciter.“ Abstrahendo nunc ab iis quae circa actionem vel passionem per verbum significatam supra disputavi relate ad res necessarias, libenter concedo assertionem istam S. Doctoris relate ad res contingentes, in quibus tantum locum habent prius et posterius seu praeteritum et futurum, quae modo in quaestione versantur. Equidem agere vel pati in actu est agere vel pati simpliciter; et consequenter, ut verbum denotet actionem vel passionem tamquam subjecto alicui attributam, debet significare illam in actu. Sed quomodo significabit illam in actu? an significans illam in tempore quo subjectum propositionis agit vel patitur, vel in tempore quo subjectum loquens pronuntiat iudicium? Nonne actio vel passio debet esse praesens relate ad tempus quo subjectum propositionis agit vel patitur? Nonne verbum est significat tempus praesens relate ad subjectum quod pronuntiat iudicium? Ergo quaecumque aliud est tempus quo subjectum propositionis agit vel patitur, aliud quo subjectum loquens pronuntiat iudicium, nequit adhiberi in propositione tempus praesens verbi ad significandam actionem vel passionem in actu, sed tempus praeteritum aut futurum, quod sane quoad actionem vel passionem non est praeteritum vel futurum respectu agentis vel patientis, sed respectu pronuntiantis iudicium. Propositio v. g. „Pius IX. rexit Ecclesiam“ potest in hanc resolvi „Pius IX. fuit regens Ecclesiam“, nequaquam vero in hanc „Pius IX. est regens Ecclesiam“; quoniam regimen Ecclesiae per Pium IX. non est praesens respectu temporis quo haec scribo, sed respectu temporis praeteriti quod per verbum rexit significatur. Vt igitur actio de qua loquitur S. Thomas, et quae in adducto exemplo est regimen Ecclesiae, praedicetur de subjecto in actu, ut vult S. Doctor,

debet praedicari in tempore praeterito respectu hujus disputationis nostrae, ut ita sit de tempore praesenti respectu Pii IX: hoc est luce meridiana clarius. E qua porro demonstratione liquet differentias temporis in verbo intelligendas esse respectu loquentis, minime vero respectu subjecti propositionis, siquidem actio vel passio respectu sui subjecti semper est praesens. Necesse est igitur affirmationem verbi ponere cum differentiis temporis, siquidem et diversa sunt tempora in quibus entia agunt vel patiuntur, et diversa in quibus de actionibus vel passionibus pronuntiatur iudicium; et ita fit ut semper sit praesens relate ad subjectum actionis vel passionis quae in propositione enuntiatur, illud etiam quod respectu loquentis praeteritum sit aut futurum. Et revera in toto modo indicativo verbum vim affirmationis habet, et consequenter nihil desideratur ut omnia tempora modi indicativi habeant rationem verbi. Profecto, si verbum significans tempus comparatur cum verbo praescindente a tempore, omnia tempora illius, non excluso praesenti, dici aequae possunt casus verbi, quatenus verbum declinatur per tempora; sed ita tamen ut in modo indicativo omnia habeant rationem verbi ob affirmationem in qua consistit verbi essentia. — Respondebunt utique patroni sententiae quam impugnamus, quod propositio „Pius IX rexit Ecclesiam“ resolvitur in istam „Pius IX est aliquis qui rexit (vel fuit regens) Ecclesiam“; et sic copula ponitur in praesenti, et regimen Ecclesiae etiam est praesens respectu Pii IX. Aliunde talis explicatio propositionis necessaria est ut propositio sit convertibilis. Ego autem repono: 1<sup>o</sup>) Propositio „Pius IX fuit regens Ecclesiam“ est in omni sensu identica propositioni „Pius IX rexit Ecclesiam“; id est identicae sunt hae duae propositiones non solum spectata propositionis unitate et indivisibilitate secundum quod ipsa est expressio iudicii, sed etiam in suo subjecto, praedicato et verbo; et per utramque affirmatur de Pio IX non solum eadem actio, sed eodem quoque modo logico. Propositio vero „Pius IX est aliquis qui fuit regens Ecclesiam“ est identica simpliciter (secundum unitatem et indivisibilitatem iudicii) propositioni „Pius IX rexit Ecclesiam“; verum deficit ab identitate secundum quid, quatenus eandem utique actionem de Pio IX affirmat, sed non eodem modo logico: differt quippe ab altera secundum verbum, quod duplex est in ea, praesens nempe et praeteritum modi indicativi: differt quoque secundum praedicatum, quod etiam duplex est in ea: differt denique, — et ad hoc praecipue attende — quatenus praedicatum regens Ecclesiam, quod significat actionem quae de subjecto propositionis affirmatur, separatur in ea a copula principali, quoniam inseparabile manet a tempore praeterito. Jam vero uterque modus propositionis de qua agimus, explicandae necessarius est: alter quidem, ut salvetur propositionis

identitas omnimoda; alter vero, ut propositio sit convertibilis. Sed ex eo quod in propositione convertibili copula principalis inveniatur in praesenti, non sequitur quod reliqua tempora modi indicativi non habeant rationem verbi; sed e contrario per explicationem propositionis in ordine ad conversionem ejus mirifice confirmatur sententia nostra. Ad quod evincendum unum considerare sufficiat, quam nempe ob causam copula principalis in propositione convertibili „Pius IX est aliquis qui fuit regens Ecclesiam“ sit tempus praesens verbi. Causa porro haec alia non est nisi quia praedicatum hujus copulae non est actio significata per verbum *rexit*, sed suppositum per actionem ipsam determinatum, nempe, aliquis qui fuit regens Ecclesiam: propter quod sane haec propositio explicativa converti potest, quoniam uterque terminus ejus, per diversa licet vocabula, significat idem suppositum; secus atque propositio „Pius IX fuit regens Ecclesiam“, quae, prout jacet, converti non potest, quoniam non est terminorum identificativa, sed unitiva tantum, nec habet pro praedicato suppositum determinatum per actionem, sed actionem solam, quae per verbum fuit componitur subjecto: et quia per fuit et non per est enuntiatur haec compositio, ideo etiam in propositione explicativa et convertibili praedicatum regens Ecclesiam inseparabile manet a verbi tempore praeterito. Illud equidem verbum est vere et proprie verbum quo per affirmationem praedicatum componitur subjecto: terminus autem qui de subjecto praedicatur, si praedicandum est id quod significat verbum adjectivum, ut *rexit*, quamvis sit terminus concretus, ut *regens*, non significat formam cum subjecto, sed formam solam sicut verbum adjectivum, nam compositio formae cum subjecto fit per affirmationem verbi, sive verbi quidem adjectivi sive copulae, et consequenter compositio ista nequid inveniri in solo praedicato, sicut invenitur in praedicato aliquis qui fuit regens Ecclesiam. Unde propositio convertibilis, cujus praedicatum est aliquis qui fuit regens Ecclesiam, non est propositio per quam formaliter virtute copulae id quod significat verbum adjectivum *rexit*, id est, forma sola, componitur subjecto, sed est propositio identificativa terminorum, quia praedicatum ejus aliquis qui etc. significat suppositum cum forma. Atqui identificatio terminorum in hujusmodi propositione fit per verbum est, compositio autem formae, id est, praedicati regens cum subjecto fit per verbum fuit sicut per verbum *rexit*. Est ergo evidentissimum quod praedicatum regens Ecclesiam, in propositione exemplo, non admittit copulam in praesenti, seu quod compositio ejusdem praedicati cum subjecto non affirmatur per verbum est, sed per verbum fuit: nec minus evidens est quod fuit regens, non est regens, aequivalet verbo *rexit*, per quod eadem affirmatio fit. Igitur copula in praesenti non adhibetur

in eodem exemplo nisi ad identificandos terminos in ordine ad conversionem propositionis; et ideo verbum est in propositione terminorum identificativa „Pius IX est aliquis qui etc.“ est copula principalis: praedicatio autem formae de subjecto seu regiminis de Pio IX nequit fieri per propositionem terminorum identificativam, sed per unitivam, nam regimen Ecclesiae asseritur quidem Pio IX, sed non identificatur cum eo. In praedicatione itaque alicujus actionis vel passionis de suo subjecto opus est adhibere tempus verbi quod sit praesens respectu subjecti propositionis et actionis vel passionis ejus, non respectu loquentis vel pronuntiantis iudicium. Secernere ergo oportet quaestionem de conversione propositionis a quaestione de relatione inter praedicatum et copulam: nam ad conversionem propositionis faciendam termini ejus et etiam copula variari possunt, dummodo iudicii identitas in sua simplicitate vel indivisibilitate salvetur; verum propositionis identitas secundum relationem inter praedicatum et copulam exigit omnino ut praedicatum et copula idem prorsus significant, secundum formam et tempus, atque verbum adjectivum quod in ea resolutum est, ut verificatur si propositio „Pius IX rexit Ecclesiam“ resolvatur in „Pius IX fuit regens Ecclesiam“. Relinquitur ergo omnia tempora modi indicativi habere vere et proprie rationem verbi propter affirmationem qua praedicatum componitur subjecto; et dici simul posse casus verbi quatenus verbum declinatur per tempora, seu comparate ad verbum praescindens ab omni tempore.

### „Orationes Christi in psalterio“.

Confer tom. XXII. p. 203—218.)

#### I. Ps. 40 (39), Oratio Christi intrantis in hunc mundum

a Fr. de Sales Tiefenthal a Tiefenkastell, O. S. B.

Sunt qui dicant: Satis habemus, si quotidie quomodoocumque persolvamus officium canonicum, ad quid nos preterea fastidiri studio sacrarum scripturarum. Qui certe non grato animo feruntur erga Deum pro dono divinarum literarum. A quibus nos avertebant, nos convertimus ad explanandum ps. 40, qui est secundum vitam Christi prima eiusdem oratio in psalterio.

Ponderatis verbis s. Pauli ad Hebraeos 10, 4—10: „Ἀδύνατον γὰρ αἷμα ταύρων καὶ τράγων ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας. Διὸ εἰς ἡμᾶς ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον λέγει· „Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατήστισα μοι. Ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ εὐδόκησας. τότε εἶπον Ἰδοὺ ἔρχω, ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ, τοῦ ποιῆσαι, ὁ θεός, τὸ θέλημά σου.“ Ἀνώτερον λέγων· „Ὅτι θυσίαν καὶ προσφορὰν καὶ ὀλοκαυτώματα καὶ